UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 585. Pelagii Pap. II. Annus 8. Tiberii Imp. Annus 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

*Dilectiſſimo * fratri Aunari à Pelagius Vrbis Romæ.*

* Auxanio Epiſcopo Arelatenſi, de quo ſuperius.

PELAGII PAPÆ AD AVXANIVM EPISC. EPISTOLA.

Laudanda tuæ charitatis vota relegimus, quibus te, niſi Gentilis motus obſiſteret, ad nos venire voluiſſe ſignificas. Licet enim ſpiritaliter & ſimul & vnum ſimus ſemper in Domino, verumtamen præſentias corporales & antiquiores Patres & ipſos quæſiſſe inuenimus Apoſtolos. Sed dum tua deſideria, cauſaſque quibus obſtareris exponeres, mirati ſumus minus te illud, quod ipſis obuiaret excuſationibus attendiſſe. Si enim mundo venerabilem iudicatis hanc vrbem, ſi ad pacem Sedis Apoſtolicæ cunctarum regere Eccleſiarum moderamina prædicatis: cur non & tribulationes noſtras, & temporales anguſtias charitatis compaſſione gemitis, ſcientes diuino per Apoſtolum nobis ore mandari, vt nos inuicem diligamus, vt onera inuicem noſtra portemus, vt quotiens fratrum quicunque vritur, nos vramur. dum pene in conſpectu veſtro tantus ſanguis innocentium ſit effuſus, ita ſacra violentis altaria, ita Catholica Fidei, ab idololatris inſultetur. Nouimus & nos quod temporalia iſta flagella ſint, vt ad probationem, ſicut de cæleſti confidimus miſeratione, proficiant, & proximum vobis ſicut ſcribitur, Dominus noſter de tribulatione dat gaudium, quia qui nequiter agunt, exterminabuntur. & inimici Dei mox vt exaltabuntur, ſicut fumus deficient: & generaliter peribunt gentes de terra eius. Propter quod vos decuerat, qui illic Catholica membra eſtis Eccleſiæ, vni corpori vnius capitis gubernatione coniuncta, omnibus quibus viribus valeretis, paci quietique noſtræ pro ipſa Spiritus ſancti vnitate concurrere. Nec enim credimus otioſum nec ſine magna diuinæ prouidentiæ admiratione diſpoſitum, quod veſtri Reges Romano Imperio in Orthodoxæ Fidei confeſſione ſunt ſimiles: vt illuc Vrbi, chariſſime frater, ne dum Regibus veſtris iuuandi nos virtus ſit data diuinitus, charitatis veſtræ circa nos lenitas arguatur, qui illis & in fide & in conſiliis veſtro ſacerdoti ſic * deuotis ſuadere talia aut negligitis, aut differtis. Sacras autem reliquias, quas & tua charitas, & glorioſiſſimus filius noſter petiit dirigendas: cum coherenti ſibi ſanctificatione tranſmiſimus. Propter quod nihilominus admonemus, vt quod ad virtutem quæritis, eorum templa à pollutione gentium liberari, in quantum vobis eſt poſſibile feſtinetis: & veſtris Regibus inſtantiſſime ſuadeatis, quatenus ab amicitiis, & coniunctione nefandiſſimi hoſtis Longobardorum ſalubri ſe prouiſione ſegregare feſtinent, ne dum illorum vindictæ tempus aduenerit, ſicut & celere fieri diuina miſeratione confidimus, & eorum etiam illic inueniantur eſſe participes, quia ſcriptum eſt: Non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus puniendos. Deus te incolumem cuſtodiat chariſſime frater. Datum 3. Non. Octob. Imperante domino Tiberio Conſtantinopoli Auguſt. anno VI. Coſſ. eiuſdem anno Regum. Sic. V. C.*

* & ſicut proxime à vobis ſcribitur.

* debetis

IESV CHRISTI
Annus 585.

PELAGII PAP. II. Annus 8. TIBERII IMP. Annus 4.

I. CREATVR REX LONGOB. ANTHARIT.

ADeſt annus Domini quingenteſimus octogeſimus quintus, Indictionis tertiæ: quo Longobardi cum per decennium ſine Rege ſub Ducibus extitiſſent, regiminis eiuſmodi ſine capite tam pertæſi, initis vna comitiis, Regem vt antea creant, delectuſque ex omnibus Antharit verum barbaricum nomen nimis aſperum cognominis Flauij lenitate deliniunt. Sed audi Paulum diaconum de Longobardorum Republica hoc modo compoſita iſta narrantem a *At vero Longobardi cum per annos decem ſub poteſtate Ducum fuiſſent, tandem communi conſilio Antharit Clephonis ſupra memorati Principis filium Regem ſibi ſtatuerunt: quem etiam ob dignitatem Flauium appellarunt: quo prænomine omnes, qui poſtea fuere Longobardorum Reges, feliciter vſi ſunt.*

a Paul. diacon. de geſt. Longob. lib. 3. c. 8.

II. *In huius diebus ob reſtaurationem regni, Duces qui tunc erant, omnis ſubſtantiæ ſuæ medietatem regalibus vſibus tribuunt: vt eſſe poſſet, vnde Rex ipſe & qui ei adhærent, eiuſque obſequiis per diuerſa officia dediti alerentur: populi tamẽ aggrauati per Longobardos hoſpites partiuntur. Erat ſane hoc mirabile in regno Longobardorum, quod nulla erat violentia, nulla ſtruebantur inſidiæ, nec aliquem iniuſte angariabant, neminem ſpoliabant, non erant furta, non latrocinia, vnuſquiſque quolibet ſecurus ſine timore pergebat.* hæc Paulus: ſed Longobardus & ipſe ſuæ genti nimium fauit: non ita cæteri, qui hoc tempore vixere, præſertim vero Gregorius Papa, qui ſæpe ob ingentia ab eiſdem ſcelera perpetrata ipſos Longobardos gentem nefandiſſimam nominat, compluraque de iiſdem refert, quæ contraria omnino iis, quæ à Paulo narrantur, eſſe noſcuntur.

III. ROMA DEFENSA DIVINITVS.

Sed quo ſtatu res Romanę hoc tempore fuerint, quas Pelagio Papa adeo vidimus deploratas, perquirendum eſt. Accidit ſane à Deo mirandum prodigium, vt & abſq; auxilio Conſtantinopoli ab Imperatore (vt expectabatur) accepto tamen Roma ſubſiſteret, non quidem humano fulta præſidio, ſed (quod Gregorius libere profitetur) defenſa Apoſtolico patrocinio. Inter alia admiratione digna quæ acciderunt, virtute Petri humiliata eſt barbarica vis, atque flexa nouo miraculo noui Regis ferrea ceruix, adeo vt & ad eius limina donum mittere diuinitus cogeretur. Sed audi rem geſtam à S. Gregorio in Epiſtola ad Theotiſtum ita narratam b:

b Greg. li. 5. epiſt. 19.

IV. DE CLAVE S. PETRI GRANDE MIRACVLVM.

Benedictionem (inquit) *S. Petri Apoſtoli clauem à ſacratiſſimo eius corpore tranſmiſi, de qua videlicet claue hoc eſt geſtum, quod narro, miraculũ. Dum eam quidam Longobardorum, in ciuitatẽ ingreſſus in Tranſpadanis partibus, inueniſſet: quia S. Petri clauis eſſet deſpiciens: ſed pro eo, quod auream vidit, facere ſibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum, vt eam incideret: qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per ſpiritum, ſibi in gutture defixit, eademq; hora defunctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorũ Antharit atq; alij multi eius homines adeſſent, & is, qui ſe percuſſerat, ſeorſum mortuus, clauis vero hac ſeorſum iaceret in terra: factus eſt omnibus vehementiſſimus timor, vt eandem clauem de terra leuare nullus præſumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui ſciebatur orationibus & eleemoſynis deditus (Minulphus nomine) vocatus eſt, atq; ipſe hanc eleuauit de terra: Antharit vero pro eodem miraculo aliam auream clauem fecit, atq; cum ea pariter ad ſanctæ memoriæ prædeceſſorẽ meum tranſmiſit, indicans quale per eam miraculum contigiſſet.* huc uſque Gregorius. Sed quod per clauem poſſeſſio deſignatur, veluti hieroglyphicis quibuſdam notis (quas tamen cum ſcriberet Rex barbarus non intellexit) illud ſignificatum fuiſſe, poſſet ex euentis certo interpres aſſerere, non tantum à Longobardis Vrbem capiẽdam, ſed ipſos omnes cum ſua ditione Romano Pontifici parituros. Vnde merito his diebus Venantius Fortunatus laudes celebrans Apoſtolorum Petri & Pauli, inter alia de ipſis magnifice decantata, de ipſorum patrocinio, quo muniunt Vrbem, hos habet verſus c:

c Fortun. carm. li.

A facie hoſtili duo propugnacula præſunt,
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet.

teſtatur id ipſum S. Gregorius, de his, quæ ipſe experiebatur, certam fidem faciens. Sed hæc modo ſatis. Iam ad res in Hiſpanis geſtas enarrandas, nobilitas nos prouocat argumenti.

V. LEVVIG. [illegible]

Hoc anno, qui ſequitur primus à martyrio Hermenegildi, eius pater infelix Leuuigildus, ſubactis Sueuis, eiſdemq; in Arianam hæreſim reuocatis, poſt perſecutionem Eccleſiæ ex hac vita migrauit, prout ex iis, quæ anno ſuperiori ſunt dicta de martyrio Regis expreſſum patet in Actis Toletani Concilij, ex quibus conſtat hoc anno filium eius Reccaredum regnare cœpiſſe Æra ſexcenteſima vigeſimatertia: nam in iiſdem Actis Æra ſexcenteſima vigeſimaſeptima annus quartus eiuſdem Regis numeratur: verum in Iſidori Chronico Æra ſexcenteſima trigeſimaquinta obitus Leuuigildi & Reccaredi ingreſſus in regnum mendoſe legitur: quod nullo penitus modo conuenire poteſt.

VI. LEVVIG. [illegible]

Quod vero ad finem eiuſdem Regis pertinet, ambo Gregorij ſuorum temporum ſcriptores eundem facti pœnitentem deceſſiſſe ex hac vita tradunt: etenim de Leuuigildi obitu & Reccaredi ſucceſſione habet iſta S. Gregorius Papa d: *Leuuigildus, oborta ægritudine, ad extrema perductus eſt. & Leandro Epiſcopo, quem prius vehementer af-*

d [illegible]

ſtauit Reccaredum Regem filium ſuum, quem in ſua hære-ſi reliquerat, commendare curauit, vt in ipſo quoque talia [illegible], qualia in fratrem eius exhortationibus fecisset. Qua commendatione expleta, defunctus eſt. hæc de pœnitentia Regis, ſed non ſatis viſa ad ſalutem Gregorio, qui ſub-dit:

VIII. *Poſt cuius mortem Reccaredus Rex non patrem perfidum, ſed fratrem martyrem ſecutus ab Ariana prauitate conuerſus, to-tamque Wiſigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, vt nullum in ſuo regno militare permitteret, qui regno Dei hoſtis [illegible] per hæreticam prauitatem non timeret. Nec mirum, quod sic fidei prædicator factus eſt qui frater eſt martyris, cuius hunc quoque merita adiuuant, vt ad omnipotentis Dei gre-mium tam multos reducat. Qua in re conſiderandum nobis eſt [illegible] hoc agi nequaquam poſſet, ſi Hermenegildus Rex pro veritate mortuus non fuiſſet. Nam ſicut ſcriptum eſt a: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſo-lum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc fieri videmus in membris, quod factum ſcimus in capite. In Wiſigothorum enim gente vnus mortuus eſt, vt multi viuerent, & dum vnum granum fideliter cecidit, ad obtinendam fidem ſe-getes multæ ſurrexerunt.* hucuſque Gregorius. Sed & alterum Gregorium, Turonenſem videlicet, audi, qui aliquid am-plius de pœnitentia refert eiuſdem Leuuigildi: ait enim b: *Poſt hæc Leuuigildus Rex Hiſpaniarum ægrotare cœpit: ſed (vt quidam aſſerunt) pœnitentiam pro errore hæretico agens, & ob-ſeruans ne huic hæreſi quiſquam reperiretur conſentaneus, in legē Catholicam tranſiit, ac per ſeptem dies in fletu perdurans pro his quæ contra Deum inique molitus eſt, ſpiritum exhalauit.* hæc ipſe. Verum etſi facti pœnitens, quod tamen Ca-tholicus omnino deceſſerit, haud ſatis certis probatur aſſertoribus; ceterum execrabilis eius memoria reman-ſit poſteris.

IX. Quid vero ad eius ſucceſſorem Reccaredum perti-net, accipe quæ de eo ſummatim Iſidorus habet in Chro-nico: *Leuuigildo defuncto, filius eius Reccaredus regno eſt coro-natus, cultu præditus religionis & patris moribus longe diſſimi-lis, namque ille irreligioſus & bello promptiſſimus, hic fide pius & pace præclarus; ille armorum artibus gentis imperium dila-tans, hic gloriosius eandem gentem fidei trophæo ſublimans. In ipſis enim regni ſui exordiis Catholicam fidem adeptus, totius Gothicæ gentis populos inoliti erroris labe detersa ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum etiam ad condemnationem Arianæ hæreſis congregauit: cui Concilio idem religioſiſſimus Princeps interfuit, ſuaque cum præſentia & ſub-ſcriptione firmauit.* hæc de pietate Reccaredi Iſidorus; de bellica autem virtute, quæ ſubdit, ſuo loco dice-mus.

X. His iungamus, quæ de eorumdem conuerſione Go-thorum & deinfelici exitu Epiſcopi Ariani, qui ſe obi-cem poſuit, Gregorius Turonenſis narrat his verbis c: *In illo tempore in Hiſpania Reccaredus Rex compunctus miſe-ratione diuina, conuocatis Epiſcopis religionis ſuæ, ait: Cur inter vos & ſacerdotes illos, qui ſe Catholicos dicunt, iugiter ſcandala propagantur? & cum illi per fidem ſuam ſigna multa oſtendant, vos nihil tale agere poteſtis? Quapropter conuenite, quæſo, ſimul, & diſcuſſis vtriuſque partis credulitatibus, quæ vera ſunt, cognoſca-mus. Et tunc aut accepta illi a vobis ratione, credant quæ dicitis; aut certe vos ab illis veritatem cognoſcentes, quæ prædicauerint, credatis.*

Quod cum factum fuiſſet, congregatis vtriuſque partis Epiſco-pis, propoſuerunt hæretici illa, quæ ſæpius ab ipſis dicta iam ſcri-pſimus. Similiter reſponderunt Epiſcopi noſtræ religionis ea, de quibus hæreticorum partem plerumque victam libris ſuperiori-bus demonſtrauimus: & præſertim cum Rex diceret, quod nullū ſignum ſanitatis ſuper infirmos ab hæreticorum oſtenderetur E-piſcopis, at in memoriam reduceret qualiter tempore genitoris ſui, Epiſcopus qui ſe iactabat per fidem rectam cæcis reſtituere lu-men, tacto cæco & cæcitate perpetua damnato, diſceſſiſſet con-fuſus (quod nos in libro Miraculorum plenius declarauimus) vocauit ad ſe ſorſum ſacerdotes Dei: quibus perſcrutatis, cogno-uit vnum Deum ſub diſtinctione coli perſonarum trium, id eſt, Patris, Filij & Spiritus ſancti; nec minorem Filium Patre, Spi-ritumque ſanctum, neque Spiritum ſanctum maiorem patre, vel Filio, ſed in vna æqualitate atque omnipotentia hanc Trinitatem ve-rum Deum fateri.

XI. *Tunc intelligens veritatem Reccaredus, propoſita altercatio-ne, ſe Catholicæ legi ſubdidit: & accepto ſigno beatæ Crucis cum chriſmatis vnctione, credidit Ieſum Chriſtum filium Dei æqualem cum Patre & Spiritu S. regnantem in ſecula ſeculo-rum. Amen. Deinde nuncios mittit ad prouinciam Narbonen-ſem, quibus narrantibus ea, quæ ille geſſerat ſimili credulitate populus ille connecteretur. Erat enim tunc ſectæ Arianæ Epiſco-pus Athalocus, qui ita per propoſitiones varias & interpretatio-nes falſas Scripturarum Eccleſias Dei conturbabat, vt putaretur, quod ipſe eſſet Arius, quem proiecisſe in ſeceſſum exta, hiſto-riographus narrauit Euſebius: ſed cum hac populo ſectæ ſuæ cre-dere non ſineret, & ad conſentiendum ei paucorum fauerit adu-latio, commotus felle, ingreſſus in cellulam ſuam, inclinato ſu-per lectulum capite nequam ſpiritum exhalauit. Sicque hæreti-corum populus in ipſa conſiſtens prouincia inſeparabilem Trini-tatem confeſſus ab errore diſceſſit.* hucuſque Gregorius. E-giſſe quidem Reccaredum Regem cum Epiſcopis Aria-nis non terrore vel imperio vium, ſed placidis verbis at-que blanditiis, ſummam in omnibus præ ſe ferentem manſuetudinem, auctor eſt Ioannes Biclarenſis Abbas, qui his temporibus vixit & ſcripſit.

ATHALOCVS ARIANVS EPISC. DESPERATIONE PERIT.

XII. Sic igitur ſummo DEI beneficio, cum per Gothos, Wandalos, Sueuos, Alanos, aliaſque barbaras nationes Ariana hæreſis exundans impleſſet Italiam, Africam, Hi-ſpanias, atque Gallias, tanquam torrens in auſtro exicca-ta decreuit. Sed de his rurſus inferius. Porro Regina Leu-uigildi coniux Goiſuintha nouerca Reccaredi Regis, A-rianæ perfidiæ addictiſſima, ſiue rubore compulſa, ſiue timore conuicta, ſimul cum aliis fidem Catholicam pro-feſſa, abdicare Arianam hæreſim videri voluit, cum ta-men intus Arium haberet incluſum: nam etſi cum aliis Orthodoxis, vt Orthodoxa ad Synaxim conueniret, atq; ſicut alij communicaret, ſecreto tamen ſacratiſſimam Euchariſtiam ex ore reiiciebat: quæ & nihil ſolicitius pro-curauit, quam vt proditione aliqua Reccaredum è me-dio tolleret, inuenitque eiuſdem ſuæ ſententiæ Arianum itidem hominem, dignitate Epiſcopum, nomine Vil-lam, ſiue Vldilam, qui in necem Regis pariter conſpi-raret; ſed coniuratione detecta, Arianus Epiſcopus mul-ctatur exilio; Regina vero, Deo vltore, citius ex hac vita luitura pœnas æternas præripitur. Hæc Ioannes Abbas huius temporis ſcriptor narrans, tertio Regis eiuſdem anno accidiſſe tradit. Sed iam ad res Francorum oratio-nem conuertamus.

CONIVRATIO ARIANORVM.

XIII. Hoc anno ſeptimo Childeberti Regis Chilpericus Rex ad Iudæorum conuerſionem addicens animum compluresque eorum ad fidem conuerſos in Baptiſmo ſu-ſcepit: ſed dum alios adigere vellet, multarum cædium occaſionem præbuit. habet iſta Gregorius d pluribus; qui & ſubdit poſt alia e de obitu Chrodini viri maxime pij, de quo paucis magna recenſet. Fuit plane iſte Chro-pinus Dux ille, ad quem exſtat Venantii Fortunati Epi-gramma, quo eius pariter laudes celebrat. ſed primum audi Gregorium. *Eo (inquit) anno Chrodinus obiit, vir magnæ bonitatis & pietatis, eleemoſynarius valde pauperumque refector, profluus ditator Eccleſiarum, clericorumque nutritor: nam ſæpe à nouo fundans villas, ponens vineas, ædificans domos, culturas eri-gens, vocatis Epiſcopis, quorum erat parua facultas, dato epulo, ipſas domos cum cultoribus & culturis, cum argento, periſtro-matibus, vtenſilibus, miniſtris & famulis benigne diſtribuebat, dicens: Sint hæc Eccleſiæ data, vt dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum. Multa autem & alia bona de viro audiuimus, quæ inſequi longum eſt. Tranſiit ætate ſeptua-genaria.* hæc ipſe: ex quibus & vides pariter, quo fine bo-na largiri Fideles ſolerent Eccleſiis, nempe, vt eiſdem pauperes alerentur. Sed audi Fortunatum viri digniſſimi laudes carminibus hiſce proſequentem f:

d Greg. Tur. l. 6 c. 17.
e Greg. Tur. l. 9. c. 20.

DE CHRODINI DVCIS OBITV.

Inclyte Dux meritis totum vulgate per Orbem,
Quem nimis egregium ſplendida fama refert,
Non ego prætereo tam præconia celſa, Chrodine,
Ne videar ſolus magna ſilere loci.
Itala terra tibi, pariter Germania plaudunt:
Laus tua cunctorum ſemper in ore ſonat.

f Fortun. carm. l. 9. in fin.

LAVDES CHRODINI DVCIS.

Clarus ab antiquis digno generoſior ortu,
Regibus & patria qui placiturus eras,
Tutoremque alij nutritoremque fatentur,
Et fit certamen de pietate tua.
Vt habeant alij, nulli tua bona recuſas:
Tu tibi plus auges, quas bene fundis opes.
Cui poſſis præſtare, libens exquiris & optas:
Vt ſis apud cunctos, hos facis eſſe tuos.
Eſt generale bonum, nulli grauis, omnibus æquus:
Iuſtitia ſocium nulla rapina tenet.
Mitis, in alloquio placidus, gratuſque, modeſtus:
Omnia cui data ſunt vt decus omne geras.
Gentibus aſtrictus Romanis charus haberis:
Felix qui populis ſemper in ore manes.

hactenus Fortunatus.

Sic igitur qui tot tantiſque laudibus meruit à duobus dignis Epiſcopis celebrari Chrodinus Dux, hic his elogiis honoratum proponimus eius monumentum poſt obitum, cuius erga pauperes ſanctaque loca munificentia ſemper enituit.

XIV. Sed his ſubiiciendum putamus alterius pietate inſignis viri ab eodem Fortunato epitaphium ſcriptum, cuius pariter in erogandis diuitiis pauperibus largitas commendatur: qui ex mercatura (quod magis mirandum videtur) ad DEVM conuerſus, Iulianus dictus eſt nomine: de quo accipe ex ſcripto codice carminum Fortunati Epitaphium, quod deſideratur in codicibus iterum cuſis.

EPITAPH. IVLIANI ELEEMOSYNIS CLARI.

Condita ſunt tumulo Iuliani membra ſub iſto,
Cuius in æternum viuere nouit honor.
Mercator quondam conuerſus, fine beato,
Raptus ab hoc mundo crimine liber homo.
Collegit nimium, ſed ſparſit egentibus aurum:
Præmiſit cunctas, quas ſequeretur, opes.
Sollicitus quemcunque notum proſpexit in vrbe,
Hunc meruit veniens exul habere patrem.
Paſcere ſe credens Chriſtum ſub paupere forma:
Ante omnes apud hunc ſumpſit egenus opes.
Non ſolum refouens, ſed dona latendo miniſtrans,
Amplius inde placet, quod ſine teſte dedit.
Felicem cenſu qui fratris migrat * *in altum,*
Et viuos lapides ædificare poteſt.
Extulit hunc tumulum genitoris honore Ioannes,
Qui modo diuinis fungitur officiis.
Qualiter hic viuo ſeruatur amore parenti,
Cum nati pietas ipſa ſepulchra colit.

Id genus eſt & epitaphium Atoli diſcipuli S. Remigij, huius plane ſæculi viri pietate conſpicui, quod Rhemis habetur in Eccleſia S. Iuliani martyris:

Hic pater eſt Atolus nato nataque ſepultus,
Expectanſque diem nunc Domini properam.
Inſtruxit bis ſena ſuis xenodochia rebus,
Iure fouens plebes diuitiis inopes.
Sic proprium cenſum cælum tranſuexit in altum,
In quo ſuſcepit, quod miſerando dedit.
Hoc totum ſub amore ſacri ſtudioque Remigi:
Ob hoc prærutilum detinet ipſe polum.

Flocardus autem dum quorundam S. Remigij diſcipulorum meminit, inter eos & hunc Atolum recenſet. Habes ex his, lector, (ne putes hæc otioſe narrata) quibus conſueuerint titulis exornari Chriſtianorum ſepulchra, non Epiſcoporum tantum, ſed & laicorum hominum pietate præſtantium.

XV. Sed quod in his verſatur oratio, hic tibi reddendum putamus Andreæ ex presbytero Cardinali Epiſcopi Epitaphium, quod in cathedrali Eccleſia Caietæ legitur hoc vtique ſæculo poſitum ſub Conſulatu Decij Iunioris, de quo ſuperius anno Domini quingenteſimo trigeſimoquarto. Sed cum nondum illud accepiſſemus, ne prætereatur omnino, hic ipſum deſcribi debere, etſi non temporis, argumenti tamen ratio perſuaſit. ſic enim ſe habet:

Pande tuas paradiſe fores ſedemque beatam,
Andreæ meritum ſuſcipe Pontificem:
Cultor iuſtitiæ doctrinæ & pacis amator:
Quem vocat ad ſummum vita beata bonum.
Plenus amore Dei neſciuit viuere mundo:
At famulo Chriſti gloria Chriſtus erat.
Quæ meditata fides & credita ſemper inhæſit,
Hæc te vſque ad cælos & ſuper aſtra tulit.
Nunquam de manibus tibi lex diuina receſſit:
Eloquium Domini vixit in ore tuo.
Romanamque prius decorauit presbyter vrbem:
Culminis auctus honor hic dedit eſſe patrem.
Diſtrictus ſub iure pio & moderamine certo,
Vtque bonus paſtor texit ab hoſte gregem.
Hoſpitibus gratus, ſe ipſum donauit egenis:
Illos eloquio, hos ſatiabat ope.
Præſule ſub tanto florens Eccleſia mater,
Creuit muneribus, creuit & officiis.

VIXIT ANN. PM. LXX. PRESB. ROMANVS VII.
ET IN EP. ANN. XXVII. M. X. D. XX.
REQVIEVIT IN PACE XIIII. KAL. NOV.
CONS. DECI. IVN.

In tabula vbi eiuſmodi inſcriptio legitur, appoſita viſuntur inſignia nobilis familiæ Columnenſium.

Cuiuſnam vero ciuitatis hic Epiſcopus fuerit, cum non exprimatur: certum eſt Caietanum minime eſſe potuiſſe, cum nondum Caietæ cathedra Epiſcopalis erecta eſſet, ſed in vicinioribus locis erat hæc Formiana ac Minturnenſis Neapolim verſus: altera vero ex parte Romam verſus Fundana & Terracinenſis, vt conſtat ex actis primæ Romanæ Synodi ſub Symmacho Romano Pontifice, & ex epiſtolis S. Gregorij. Porro hoc ſæculo eiuſdem nominis fuiſſe reperitur Andreas Fundanus Epiſcopus, cuius eſt celebris memoria apud S. Gregorium in Dialogis a: vixit etiam iiſdem ferme diebus Andreas Epiſcopus Aquinas, de quo idem S. Gregorius meminit b, ſed ignobilis longeque ab iſto, de quo agitur diuerſus: hic enim ante Epiſcopatum in Romana Eccleſia functus eſt honorifice presbyterio. At de his ſatis. XVI.

a Greg. dial. l. 3. c. 7. b Gregor. l. 3. c. 8.

IESV CHRISTI
Annus 586.

PELAGII PAP. II. Annus 9. — MAVRITII IMP. Annus 1.

QVingenteſimooctogeſimoſexto CHRISTI anno, quartæ Indictionis, menſe Auguſto moritur Tiberius Imperator, atque in locum eius Mauritius ſubrogatur. Sed antequam de his agamus, quæ Tiberij obitum præceſſerunt, ſunt recenſenda. Conſtat etiam hoc anno, ante quatuor menſes, quam Tiberius moreretur, Eutychium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ex hac vita migraſſe, teſtatur id quidem is, qui præſens fuit Euſtathius, qui res ab eo præclare geſtas conſcripſit, cum de ægritudine Eutychij inſtituens exactam narrationem, hæc ait c: *Imperator magno deſiderio & fide beatum virum inuiſit: primum quidem vt ab illo benedictionem acciperet: deinde vt intelligeret, quis poſt illum paſtor eſſet populum gubernaturus. Benedixit ille quidem Imperatori, ſed alterum reticuit, non quod ignoraret, ſed propter quaſdam cauſas, quas, Deo ſibi aperiente, ipſe nouerat. Quare cum ea, quæ res & tempus poſtulabant, cum Imperatore locutus eſſet, hilaritateque vultus illi diſceſſit. Ego autem à quibuſdam imperatoris familiaribus accepi, ei fuiſſe à ſancto viro prænunciatum, celerem ipſi mortem inſtare: idque verum fuiſſe, euentus docuit: nam quatuor poſt menſibus à vita diſceſſit Chriſti amantiſſimus Imperator.* hæc de tempore. Cum igitur obitus Imperatoris hoc anno dicto menſe contigerit (vt paulo poſt dicturi ſumus) vtique neceſſe eſt affirmare hoc anno menſe Aprili Eutychium ex hac vita migraſſe, exque corrigenda ſunt, quæ ſæpe

c Euſtath. in vita S. Eutych.

EVTYCHII EPISC. CONST. TEMPVS OBITVS.